

V I R O

MAGNIFICO SUMME REVERENDO AMPLISSIMO
EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO

IOANNI FRIDERICO
REHKOPFIO

DOCTORI THEOLOGO CELEBERRIMO SENATVS IN SAXONIA
SACRA SUMMI GRAVISSIMO ASSESSORI PASTORI AD AEDEM S. CRVCIS
PRIMARIO DIOECESBOS SCHOLARVMQVE DRESDENSIVM
EPHORO PROVIDENDISSIMO

V I R O

MERITIS EXCELLENTIBVS COETVI SACRORVM PVRIORI AC SCHOLIS
LONGE CARISSIMO ET MAXIME VENERABILI

D I E M

N O M I N I T E I V S S A C R V M

VIII. KAL. IVL. A. O. R. MDCCCLXXXVIII.

REDUCEM

PIE GRATVLANTVR

SCHOLAE CRVCIANAE MAGISTRI
AC DISCIPVLI.

69489

DRESDAE,

LITTERIS HENRICI WILHELMI HARPETERI.

gr. erud.
50,37.1

Original mit D
1630, 27

V I R O

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO

LIBRERIA COMMERCIALE DI MILANO



Diuinae memor est quisquis imaginis,
Qua virtute Dei conditus est homo,
Mentem attollet humo, spernet inania,
Et mortalia proteret.

Aequa lance tenax pendere quaelibet,
Virtuti pretium constituet suum,
Quamuis haud niteat puniceus color,
Clarum non atavi decus.

Ofor sed vitii, non superabilis,
Incorruptus erit iudicio graui,
Aequus larga bonis praemia diuidet,
Prudens atque malos feret.

Virtutem innocuam non finet opprimi,
Et, quaecunque potest, munera conferet
Cunctis, consociat quos sibi ciuitas,
Factis, consilio aut pari.

Tali conspicias pectore Principes,
Nomen conueniet queis patriae Patrum,
Tales mente viros, queis amor est salus
Communis, socii aut sui.



Talem, Christiadum nomina qui gerit
 Non indigna, vides. Ardua quaelibet
 Audens, qua poterit, Christum imitabitur,
 Fiet consimilis Deo.

Quid maius poteras, VIR VENERABILIS,
 Genti Christiadum, quid melius piae
 Monstrare eloquio, quam facilem viam,
 Sancti Numinis aemulam?


Exemplo ipse praeis, VIR PIE, candido;
 Christi Tv sequeris, Tv Dei imaginem;
 Tv virtute beas, quos poteras, TVA,
 Cunctis aequus et obuius.

Exemplar niteat tale diu piis,
 In caelum redeas serius, ac dies,
 Quem votis celebrat iam pietas scholae,
 Nobis saepe fit annuus.

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE,
 A. M. Scholae Cruc. Rect.

Heus nova pulsatis qui tintinnabula templi,
 Murmure quae resono tempora lapsa notent;
 Quo ruitis? tantumne datum mortalibus esse
 Imperium possit, tantane cura data;
 Legibus vt teneant paribus noctesque diesque,
 Pro lubitu vitae corripiantque modum?
 Tempore quid gravius? tardari tempora quis non
 Horarumque fugam non cohibere velit?

Vos




Vos tamen, o duri, licitis obsistere votis,
Horarumque moram corripuisse iuvat!
Tardius, heu memini, cedebant lumina solis,
Fortius arcebat noctis et umbra diem;
Arbitrio quum quisque suo produceret horas,
Nec campana sonos ulla propinqua daret.
Nunc celeri lapsu perit aetas, noxque diesque,
Viribus acta novis, praecipitata ruit.
Ferreus ille fuit, vanis qui tempora primus
Artibus et machinis corripienda dedit!
Sed rapiant machinae! quid enim vana arte movemur?
An fas sit machinis addere sponte manus?
Vos tamen adiectis manibus tacitura movetis,
Vi magna invitos elicitisque sonos.
Nec satis est sonuisse semel; repetita novatis;
Ni primo forsan cesserit hora sono.
Altera vixque cavas levius sonuere per auras;
Altera tum subito tristius aera tonant.
Ceuque indignentur, stridentia murmura reddunt:
Angere sollicitos scilicet aera dolent.
Nec solito fratrum satis est stridore moveri,
Lene sonans tantum qui propiora regat.
Sed strepitu horribili fremitis, tardigrada tantis
Scilicet vt dominis certius hora ruat.
Contiguique procul montes ululatibus istis
Atque imae valles ruraque lata patent.
Vt qui vina colant, latitent qui vallibus, horis
Contractis doleant, ruricolaeque probi.
Signari et totas, nimium suffecerit, horas;
Singula cur quoque pars quarta notanda simul?
Particulas vitae ne quas homo, nempe verendum est,
Tutus agat, nimia gaudeat atque mora.
Horas nec tantum placet imminuisse diurnas,
Corpora quae multo fessa labore levent:




Imminet et nocti, nocituraque brachia tendit
 Vis vestra, ut lassis somnia tuta fuget.
 Ah quoties dixit, sua adhuc qui membra quieti
 Matutina, gravi fracta labore, dabat:
 „Improbe, quid pulsas? strepitu quid corpora vano
 „Exagitas, somno vix recreata brevi?
 „Vix mea, me miserum! mulcebat lumina lectus,
 „Lumina tu lecto vix bene clausa cies!
 „Invide, quid minuis, quae produxisse decebat?
 „Quae tua sunt, cura; meque relinque mihi.
 „Ast ego! sed quorsum mens tanta exaestuatur ira?
 „Me somno praestat composuisse novo.
 Dixit, et incurvis aptatis denuo membris,
 Queis vix desierat, stertit acuta, modis.
 Somnia mox miscet, circumque sonare videntur
 Murmura campanae murmure mixta novo.
 Sed non vana sonant, nec sunt in imagine pulsus,
 Sed veris trepidant aethera tacta sonis;
 Moxque aliis: lecto se proripit excitus ille,
 Atque indignantes adfremit ore minas.
 Heus tantis quis non moveatur sponte querelis?
 Quem meritis pudeat succubuisse minis?
 At, nisi vos moveat requies nocturna negata;
 Flectant, qui lucis tempora laxa petunt.
 En adfunt laeti gratissima tempora veris:
 At veris quis non tempora laxa velit?
 Undique conveniunt coetus iuvenumque senumque
 Iungitur et sociis femina mixta viris.
 Perque vias titubant, et avaro lumine rura
 Carpunt, miscentes verba iocosa choris.
 Est locus in medio, leni praeterfluit vnda
 Murmure: coenantes densior umbra tegit.
 Sistite nunc gressus, gressus hic sistite, amici,
 Vnus ait, fessos hospita tecta vocant.

Accla-




Acclamant omnes, gressum hic sistamus, amici;
Vt citius sistant, praecipitantque gradum.
Confidunt, gaudentque, umbrasque et frigora captant,
Et quasi mole viae corpora fracta fovent.
Mox, vbi prima quies data, pocula plena ministrant,
Mixtaque cum calidis frigida mella bibunt.
Parsque sedere; alii discurrere; poscere multi,
Anno qui possint suppeditare, cibos.
Jam puerumque puer, iuuenem iuuenisque, virumque
Vir legit, adsidit cum seniore senex.
Volvuntur pueri per gramina verna, leguntque
Flores, quos matri munera grata ferant.
Spes iuuenis laetas iactat, queriturque magistri
Iurgia, iuncta minis, imperiosa sui;
Moxque insultat equi, carpentis gramina, tergo;
Aut tauri oppositi cornua torva petit:
Mox superat multa vi montes, infilit inde
Valles; atque procul, ne moneatur, abest.
Inspiciunt, memoresque sui, haec molimina patres
Subrident animis; ore minisque vetant;
Vtque iocos curis iungant, imitamina belli,
Proelia chartarum picta figura movet.
Confidunt, variisque trahunt sermonibus horas,
Priscaque defendunt turba verenda senum.
Perque vices annos inquirunt, quaeque per amplam
Vitam commemorant sint loca visa sibi:
Iactitat hic Gallos, is Belgica littora, Russos,
Varsoviam, quicquid totaque terra tenet.
Invidet his, patriae qui nil nisi viderat vnquam
Moenia, subridens colloquiumque novat.
„Ast nova nunc, inquit, potius referamus, amici!
„Turcica, num scitis, quid sibi bella velint?
„Turcica, temporibus proh quam distamus ab illis,
„Quis Muhamedigenae publicus hostis erant!

„Quos



„Quos ego, ni tardent haec ossa senilia! — fumans
 Fistula perque minas decidit ore pio.
 Accipiunt omen cuncti, truncataque frustra,
 Turcarum totidem membra resecta, putant.
 Pergere dum tentant; sonat en aes aere repulsum!
 Ac prope migrandi tempus adesse docet.
 Dissiliunt omnes, indignanturque; sed omnes
 Tempora fraude mala tam cito rapta putant.
 Abiiciunt alii schedulas; pars exilit herbis;
 Turca fenum; iuvenum tergora cernit equus.
 Undique concurrunt moniti, menfasque benignas
 Quaerunt: ieiunis lautaque mensa patet.
 Vix tamen accubuere omnes, stomachique placata
 Prima fames; horae signa secunda sonant.
 Raptim epulas carpunt; iam tertia signa moventur;
 Invitos mensis cedere quarta iubent!
 Attoniti surgunt, discurrunt; totque ciborum
 Vix bene consumtus primus et alter erat.
 Inque viam, necdum satiati, paucula mensis
 Eripiunt, avido et ore manuque tenent.
 Vixque parant abitum, en resonant nova signa: senesque
 Hic ita tractatos se meminisse negant.
 Festinant, veriti, domibus ne ianitor; ipsa
 Miles ne reduces arceat vrbe vigil.
 Inque viam lati funduntur, perque tenebras
 Perque metus secum vix sua quisque trahit.
 Cursibus in mediis pulsata intersonat aura
 Saepius, attonitis corpora tota madent.
 Praecipitesque ruunt omnes, nullo ordine, matrem
 Vixque puer sequitur, femina vixque virum.
 Longo post titubare senes discrimine anheli,
 Confectos annis vixque movere pedes.
 Seque aliosque senes superat tamen ille, sinistra
 Omina cui lunae cornua forte dabant.

Vix.



Vixque potens animi terretur imagine, vera
Ne capiti immineant Turcica signa, timens
Vixque redux, „proh aera! gemit, proh aere sonantes!
„Dum vivam, haec memori non mihi mente cadent.
„At mihi ni terror, mirum, hic, — interque loquendum,
Attonito aes duplex obstrepit ecce sonos!
„Ultima, ni fallor,„ dixit, — nec plura locutus,
Morte interceptus protinus ille ruit.
Duri, quid molles pueri admisere, probatae
Quidque spei iuvenes, quid meruere viri?
Quid pius ille senex, patrii custodia moris,
Gaudia cum vita vt praecipitasse iuuet?
Singula quid referam, quae vos correpta novastis
Tinnitu vestro, quaeque minuta nocent?
Saepius hinc iuvenes, totos ex ore magistri
Pendentes, vestris admonitosque sonis;
Indignabundos, horis (memorable dictu!)
Arcte contractis congemuiffe ferunt.
Horas carpendo sic vitam carpitis ipsam;
Deme aliquid toti; tota minuta iacent,
Egregiumque decus formae iuvenilis, et ora
Succi plena brevi ruga senilis erunt.
Annis cur viguit prima aetas? Scilicet aere
Aetati primae non data signa patet.
At male pulsantes, quae tanta superbia! Num, quod
Proxima sideribus culmina vestra patent?
Cum famulo suprema habitat plerumque poeta;
Nec tamen hic dominos, nec regit ille, suos.
An, quia de templo sonitus effunditis amplos,
Horas censetis pellere posse novas?
Sic templi aere cavo pellebant fulmina quondam:
Lex tamen aere cavo haec velle movere vetat.
Aut quae tanta ciet mentes vecordia! cuncti
Quae cupiant, unos vosne ea nolle decet?

b

Quid



Quid pia vota iuvant, queis tempora longa precamur,
Haec stridente sono si remove licet?

Denique coeca adeo cui mens est, vt velit vna,
Si noceat reliquis, ipse nocere sibi?

Credite, vos vestros ipsi vestra arte fugatis
Annos: sic crabro, dum nocet, ipse perit.

Hem, precor, aut cessate graves protrudere tanta
Vi, vestros vobis aut retinete sonos;

Aut, (nam sponte satis fugit irrevocabile tempus,
Artibus vt magicis non opus esse putem;)

Si sonuisse iuvat, celeres modo sistite cursus,
Vela citae navi nec date plena, precor.

Sic nova mox turris celsissima sidera tangat,
Sic vestrumque brevi perficiatur opus:

Nulla domos laedant sic vestras fulmina, ferri et
Per massam in terrae viscera sponte ruant:

Proxima sic nunquam noceat vis ignea Solis,
Nec Boreae noceant frigora saeva feri!

* * * * *

VIR VENERANDE, piis ignosce erroribus, haec si
Vix TE digna satis munera forte putes.

Sollicitis satis est, quavis ratione saluti
Perpetuae cari consuluisse viri.

Si medicus desit, quovis medicamine gnati
Morbum conatur cura levare patris.

Cui centena nequit centum cadere hostia cultris,
Vnica sufficere huic agna, columba, potest.

Tempora si volumus cui vitae longa precari,
Confugere ad templum nempe quis invideat?

Altius enixo, turrim, confinia templi,
Cur non suppliciis detur adire piis?

Adde, quod haec nostris virtus haud parva putatur,
Si, quae turba probat, fortius ipse neges.

Sie

Sic ego, quae cunctis placeat nova temporis index,
Si prodesse nego; non mihi turpe putem,

Fabula sed nostro nunc cedat carmine; carmen
Sincerum ficto substituisse decet.

Vota canam repetita imo de pectore, non, si
Cetera displiceant, displicitura TIBI.

En nova, VIR VENERANDE, vides, TVA gaudia, templa
Artibus egregiis perficienda brevi.

Inque dies crescens alto molimine turris

Dat certae aere novo signa propinqua spei.

At cives fuerint si, TE duce, prima vocati

Ad sacra; (mox adsint tempora laeta, precor!)

Tum vigeas, salvoque TIBI praeconia multos

Detur adhuc annos continuare sacra!

Ac quoties repetunt nova pulsus aera sonantes;

Det toties numen gaudia adaucta TIBI!

Nec nisi sera sonet funesti murmuris hora,

Qua TE sublatum ad sidera sancta gemant!

M. BENIAMIN GOTTHELF BEVTLER,
Corrector.

Auctor salutis perpetuae, Deus,
Peruersa lapsu mens hominis sibi
Relicta, quam nec nosset vnquam,
Ipse viam docuit salutis.

Nam misit olim numine coelitus
Actos prophetas, qui, placeat Deo
Quae vita, monstrent, quaeue recta
Vna Dei ratio colendi.



Misit Ioannem, qui, mala quomodo
 Mutanda sit mens, et veniam, docet,
 Culpaë impetret quisquis per illum,
 Omnia qui scelera expiauit.

Nobis Ioannes et datus a Deo est,
 Coetus piorum quem colit atque amat,
 Qui prouidus cessat nec vnquam
 Vsque rei inuigilare sacrae.

Hinc Musa supplex his precibus rogat:
 Amore dignum quem dederit virum,
 Hunc vt Deus semper benigno
 Auxilio iuuet atque seruet,

M. IOANNES CHRISTIANVS HAENTSCHEL,
 Coll. III.

En EPHORI summi sollempnis nomine magno
 Omnibus acceptus nascitur ille dies,
 Laetitiam mentis testari quo mihi fas est,
 Fundere et ex animo vota precesque Deo;
 Vt iubeat longos Ephorum durare per annos,
 Qui Musas nostras protegit atque scholas.
 Postulat officium hoc abs te, pia mens mea, virtus,
 Eximius splendor, gloria summa Viri:
 Nominis at tanti non magnificentia solum,
 Praefulis ad cultum pectora fida mouet;
 Sed quoque naturae ingenuae praestantia nota,
 Iustitia et probitas, dexteritasque Viri.
 Hoc animo, Maecenas magne, TIBI offero versus,
 Quales dictavit Musa pudica mihi.


Hostia,

Hostia, thusque precesque placent, sunt denique grata
 Quae libat pietas munera parua Deo.
 Sic ne despicias, oro, VENERANDE PATRONE,
 Quae manibus puris offero dona TIBI,
 Inque TVAM porro tutelam admitte clientem,
 Qui TIBI se tradit, praesidioque TVO.

M. IOANNES MICHAEL LVDOVICVS KOELER,
 Coll. IV.

Ad pia vota vocat nos lux suauissima, PRAESVL,
 Nomine quae fulget, DEVENERANDE, TVO.
 Grator haud pietas vlla est, ardentior vlla;
 Pectus laetitia non magis vlla mouet,
 Quid ni laetemur TE saluo, ac vota precesque
 Soluamus pro TE, VIR VENERANDE, Deo?
 Numine propitio qui TE sacrisque scholisque
 Saxonice columen reddidit atque decus.
 Diuitis ingenii est laudes celebrare perenni
 Carmine, quae dudum TE vetuere mori.
 Sollemnis pietas tantum pia vota frequentat
 Sollemni nobis laetificoque die.
 Audiatur ipse Deus quas sancto pectore fundis
 Pro coetu sacro, continuasque, preces.
 Ex adyto sacro TIBI firmet viribus artus,
 Deque Sione animum fulciat vsque TIBI;
 Aetatem clemens ad feros proroget annos,
 Detque TIBI omnigena prosperitate frui.

CHRISTIANVS EHREGOTT WEINLIG,
 Cant. et Coll. V.



Sidere nunc iterum fulgenti Onomasma recurrit
 Pergratum nobis, VIR VENERANDE, TVVM.
 Cumque Tvi sacri Christus sit meta laboris,
 Ioannis merito nomen et omen habes.
 Qui pariter facundo interritus ore minaris,
 Immites poenas improbitate feris.
 Quique piis fato pressis solamina blanda
 Ex sanctis verbi fontibus vsque paras.
 Robore firmetur porro VENERANDVS EPOPTA,
 Christiadam vt populum verba docere queat.
 Tristibus atque malis agitetur tempore nullo,
 Tempore quae cuncto pectora nostra timent.
 HVNC potius Numen quacunq; salute coronet;
 Sis IPSI clypeus, praesidiumque, Deus!
 Heu pater omnipotens precibus nunc annue nostris,
 Huncque sinas laetum saepe redire diem.

M. IOANN. CHRISTOPH. GRAEFE,
 Coll. VI.

Pristina solstitium rapuit nunc gaudia veris.
 En sua nunc aestas vestigia pressit et aestus,
 Messibus et Cereris variis laetatur arator.
 At tribus elapsis varians sol limina tangit
 Mensibus alta iugi fugitiuis astra regentis,
 Fertilis aestatis velocia gaudia cessant.
 Advolat autumnus, fructus, quos Bacchus in vuis,
 Vinitor arte sua refecat, cum rusticus illos,
 Quos Pomona dedit, follers ex arbore carpit.
 Dulcia transibunt sed mox noua gaudia nobis,
 Sol rotulans tropicum capricorni pallidus intrat,

Nubi-

Nubibus et niuibus contectae mittit amoenos
 Telluri raros radios, quibus ante coruscat.
 Attamen haec minae moderantur saepe sereno,
 Corpora qui recreat defessa calore benignus,
 Aere, durities hiemis lenire traharum
 Curriculumque solet, superest & copia pomi.
 Tempore sic hominum merito dispescitur aetas;
 Ver puer est, aetas iuuenilis dicitur aestas,
 Autumnusque viri foecundus, hiemsque senectus.
 Ultima iamque PARENS! autumnus limina calcas!
 Prima senectutis pede mox, Venerandus adibis!
 Pulcror ecce dies inclaruit omine docto!
 Quaeque iuuentutis numen conatibus alium
 Annuit, atque dies TIBI sic augebit amoenos.

CAROL. HENR. SEIFRIED,
 Reg. Alumn.

Praecipe digna mihi, caelestis carmina Musa,
 Tota poetarum, quam colit vsque cohors.
 Pectora divino tu complex igne canentis,
 Dulcius et chordas tu resonare doces.
 Inuida Graiorum iam obliuio facta teneret
 Clara, nec Hectorei nominis esset honos;
 Nec pius Aeneas nec tristia tristis Elifae
 Fata, nec et Turnus nunc quoque in ore forent:
 Diua, tuo adflases sacros nisi numine vates,
 Quos magnos ipsos dicere magna iuuat.
 Sensit et Hesiodus te Naso, Maroque et Homerus,
 Atque aeterna quibus carmine fama viget.

Die



Dic quoque, Musa, VIRI celebrem quo carmine laudes,
 Qui decus est vrbis praesidiumque scholae;
 Quo pietas, quo religio, quo candida virtus
 Incolumes saluo perpetuaeque vigent.
 En tibi, Musa VIRVM, si quenquam, carmine dignum;
 En virtute grauem conspicuumque fide!
 Quis melius pinxit scelus execrabile? Virtus
 Vnde optabilior conspicienda tibi?
 O quoties (meminisse iuuat) mentemque animumque
 De terra in coelos abstulit ille mihi.
 Quas referam grates, licet huic si reddere grates
 Tantis pro meritis, dic, age, Musa, mihi —
 Haec ego cum dixi, quatiens caput illa: „quid audes?
 „Nonne vides, laudes quem male sanus ait?“
 „Tune tuis speras Huic versibus addere honorem?
 „Omnibus est maior laudibus ille tuis!“

His

VIRO MAGNIFICO AC SUMME VENERABILI

Laetitiae pietatisque sensum testantur ordinum
 superiorum discipuli,

interprete

GODOFREDO SIGISMUNDO KLENGELIO,
 Gruenbergensi, Choro Al. I. Praef.

